Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1617

Quelle:
Copyright:

CCCCXIX.

204 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 114. f. diverſa et currente manu per duas columnas exaratus ſequentia in *Huſſitarum* negotio complectitur: I. Collatio habita, ut videtur, in *Conſtantienſi* Concilio, in qua praecipue reſpondetur autoritatibus adlatis pro Communione ſub utraque Specie, et ſimul etiam de Schismate et autoritate eccleſiae differitur. Incipit abſque titulo: *Hic in preſenti proteſtor propter quosdam, qui leuiter capiunt hominem in confuſionem. Ideo ſi in aliquo loco huius collacionis dixero, quod validum non videtur, quod non credo, paratus ſum informari* &c. Et finit: *animam in precium aquam lateris in lauacrum.* Contra *Jacobi* ſ. *Jacobelli de Miza* argumenta, ni fallor, directa eſt, et fortaſſis *Andream de Broda* autorem habet, quem ſaepius cum *Jacobello* congreſſum perhibet *Herm. von der Hardt* T. III. P. 14. p. 392. licet Scriptum praeſens nec apud illum, nec in *Collect. Concc.* neque in *Manſii Supplem.* extet.

II. *fol.* 64. minio: *Iſti ſunt articuli de Tractatu Magiſtri Jacobelli quem fecit pro utraque ſpecie in layca communione et collecti ſunt de verbo ad verbum ſicut ibi continentur. Et quidam ſunt ex eis falſi. Quidam ſacroſancte Romane eccleſie contrarii. quidam ſunt contra ſanctos doctores et alios catholicos viros. quidam contra Canones. quidam erronei. quidam ſcandaloſi quidam rixoſi. quidam videntur grauiores quam erronei* &c. Sunt Articuli LIV. adjecta cuivis cenſura, differente ab iis *Concluſionibus*, quas a. 1415. a Theologis *Conſtantiae* datas repraeſentat *Herm. von der Hardt* T. III. P. 17. p. 586. *Jacobelli* Opus, unde Articuli noſtri extracti ſunt, habes apud *eund.* P. 16. p. 416. Articuli vero ipſi nuſpiam comparent. Eorum finis eſt: *et ſic alia eſt ratio medicinalis in layco et alia in ſacerdote. Igitur articulus falſus.*

III. *fol.* 73. Epiſtola elenchtica inſcripta: *Eloquenti viro domino N. verbi dei ſeminatori in praga fratri ſuo in chriſto dilecto.* Initium: *Pro ſalutacione in chriſto ieſu domino. Dilectione fraterna in caritate non ficta ante omnia preporrecta* &c. Edidit illam e Cod. *Helmſtad. Herman. von der Hardt* T. III. P. 14. p. 338. tanquam a Theologo quodam in Conc. *Conſtant.* degente 1415. ad *Jacobum de Miza* ſcriptam. Mirari vero ſubit, cur viro ſolertiſſimo, qui tot ſubſidiis ad informandum Opus ſuum e Bibliotheca *Caeſ.* adjutus fuit, non ſubpeditaretur praeſens *Codex*, in quo ad calcem Epiſtolae noſtrae diſerte legiſſet: *Ego frater tuus ſincere deſiderans ſalutem anime mee et tue et omnium animarum hominum ſingulorum. Anno domini M° CCCC° XVI finita quarta feria ante lucie, In luticz.* Itaque nec *Nicolaus de Dünkelſpühl*,